



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

Parisiis, 1644

II. De puellis Deo deuotis, si ad terrenas nuptias transierint.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15256

eiufmodi vitiorum germen inoleuit, vt ad plena remedia difficilis fit recursus; certe non sine verecundia eorum quos causa contingit. Quocirca, fratres, librato diu, moderatoque consilio, ea cautela ratio seruata est, qua & scandala submoueret, & sanctitatem ecclesiae custodiret.

ANNO
CHRISTI
574

CANONES.

I.

SEDIT igitur, neminem post hanc Synodum, qua eiufmodi illicitis vel sero succurritur, de digamis, aut internuptarum maritis, ordinari clericum posse. Nec requirendum, vtrumne initiati sacramentis diuinis, ane gentiles, hac se infelicitis fortis necessitate macularint, cum diuini praecipiti casta sit forma. Sed quia fratrum nostrorum vel imperitiam, vel simplicitatem, vel etiam praesumptionem damnare non possumus, nec per omnes ecclesias quae sunt iampridem male gesta corrigere; placuit etiam de eorum statu qui prius ordinati sunt, nihil reuolui, si nulla extrinsecus causa procedat, qua indigni ministerio comprobentur.

II.

De puellis vero quae se Deo vouerunt, si ad terrenas nuptias sponte transierint, id custodiendum esse decreuimus, vt poenitentia his nec statim detur; & cum data fuerit, nisi plene satisfecerint Deo in quantum ratio poposcerit, earumdem communio differatur.

III.

Circa eorum vero personas, qui se post vnum & sanctum lauacrum, vel profanis sacrificiis da-